



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Series Actorvm Omnivm In Canonizatione Sancti Thomae
a Villanova, Cognomento Eleemosynarij**

Romae, 1658

Ferdinandus Apicella Episcopus Larinen[sis].

urn:nbn:de:hbz:466:1-9857

**Carolus Azzolinus Episcopus olim
Balneoregien.**

Beatissime Pater: Vidimus in eximia Beati Thomæ charitate quomodo bonus Pastor operetur. Expedit, ut in Ecclesiæ totius exemplum videamus etiam, quomodo coronetur: ideo & proficuum, & opportunum reor, authoritate Apostolica Beatum Thomam referri in Sanctorum numerum, ut cuius bona reposita sunt in Domino, elemosynas illius enarret, atque imitemur omnis Ecclesia Sanctorum.

Ferdinandus Apicella Episcopus Larineñ.

Qvia Beatus Thomas de Villanova, ob tot inclytas eius virtutes, in diebus suis placuit Deo, & inventus est Iustus, pietatemque vbiique plantando, vitia auultis, & inter Deum, & hominem in tempore iracundiae, factus est reconciliatio; Ideo iure iurando fecit illum Dominus crescere in plebem suam. Merito igitur Sanctitas Vestra, Domini iuramentum exequendo, eundem in Sanctorum numero collocare meditatur. Idque ego æquissimum iudico.

Thomas Lollius Episcopus Cirenæ.

Perfectionem Patris nostri Cœlestis, Beatissime Pater, amulatus fuit in multis Beatus Thomas de Villanova Archiepiscopus Valentiæ ex Ordine Eremitarum Sancti Augustini, & præsertim in hoc, quod misericordia eius super omnia opera eius; nam sicut in Sancto Iob, ab infantia crevit miseratio, & de utero Matris sue egressa est cum eodem; ita B. Thomas ab ineunte pueritia intellexit super egenum, & pauperem. Quare cum possideat Regnum viris misericordiae paratum, posse illum censeo à Sanctitate Vestra referri inter Sanctos.

Fla.